



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Postrema sententia. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

ANTEQVAM nostram aliorumque sententiam in medium proferamus, statum questionis paucis explicare necesse est. Atque in primis oblectandum, certum seu infallibile, ut Scholastici loquuntur, aliud esse quam necessarium, aut inevitabile; nam duo priora ad intellectum referuntur, duo vero posteriora dicuntur de ipsis rebus secundum se. Eodem pacto incertum & fallibile ad cognitionem pertinent, contingens autem & liberum rebus ipsis secundum se convenit. De contingencia vero, libertate, & necessitate prædestinationis, & reprobationis iam satis diximus: nunc autem de certitudine, quatenus ad intellectum refertur, differendum est. Et quamvis nulli Catholicorum dubium sit numerum prædestinatorum, & reproborum non solum formaliter, sed etiam materialiter in scientia Dei certissimum esse, ut in priori conclusione instantium, quæstio tamen est, unde hæc certitudo prædestinatorum incipiat, habita ratione instantium, quæ nostro modo intelligendi in decreto Dei constituitur.

*Prima opinio
Catherini.
Numerum
prædestinato-
rum certum
esse in duplici
definitione.*

In hac igitur controuersia prima sententia Catherini lib. i. de prædest. cap. vii. ubi affirmat aliter certum esse numerum prædestinatorum, quam saluandorum ipse enim, ut vidimus supra disput. 90. distinguit prædestinatos à saluandis. Itaque primum asserit, numerum prædestinatorum certum esse in præfinitione, quia ipsos ante vlla merita decreuit. Eodem modo, inquit, certum esse in præfinitione mediorum gratiæ, quia perducendi sunt ad vitam æternam. Putat enim talia esse media, ut eis positis non sit ipsis liberum non perseverare. Quod si hæc duæ præfinitiones, ita in Deo essent, plane sequeretur, utroque modo non solum esse certum numerum in præfientia post vnam, aut alteram præfinitionem, verum etiam esse necessario ita futurum, & nulla ratione contingentem, & liberum.

*Docet secundum
non esse
certum in
electione glo-
ria numerum
saluandorum.*

Deinde docet, numerum saluandorum non esse certum in electione gloriæ ante omnia opera etiam gratiæ, quia putat, non fuisse eos hoc modo electos, sed communi quadam voluntate simplicis affectus in gloriam ordinatos, cui optime resistere poterant: & idcirco numerum eorum ex electione ante opera nulla cognitione certum esse potuisse.

*Nec in præf-
initione me-
diorum gratiæ.*

Postremo asserit non esse certum numerum saluandorum in præfinitione, & providentia mediorum gratiæ operantis; quia communi solum gratiæ præuenti fuerunt, cui & ipsi quoque resistere poterant. Neque enim negat, ut falso illi aliqui ponunt, numerum saluandorum certum esse in præfinitione, quia Deus cum singulis cooperari decreuerit, nec tale decretum Catherinus vlt. quam negat. Itaque cum dicit, augeri & minui posse numerum saluandorum, intelligit de numero non prout est in præfientia Dei, præuisa cooperatione cuiusque, sed absolute, & ex se ante hanc præfientiam ex sola præfinitione mediorum gratiæ operantis, & præuenientis: eo quod existimat, futura nostra opera non aliter à Deo cognosci, quam ex præfientia reali in æternitate Dei, ac proinde in sola præfinitione gratiæ ope-

*Defenditur
Catherini
ab opinione
ei falso im-
posita.*

3.

rantis, & præuenientis, antequam accedat decretum concurrenti, & cooperandi, nihil à Deo certo cognosci. Hanc sententiam videntur mihi sequi Massilienses: Hilarinus enim in epistola ad Augustinum, quæ est ante librum de prædest. Sancti post media in epistola de illis ita scribit: Inde est, quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum quædam esse definitum numerum velint. Sentiebant enim contra Augustinum, ut vidimus disp. 96. cap. 4. prædestinatis non fuisse à Deo præfinitam peculiarem gratiam operantem ad perseverandum, quæ certo Deus cognosceret eos perseveraturos, sed omnibus præfuisse communem gratiam, quæ perseverare possent, & non perseverare. Ideoque in præfinitione auxiliorum gratiæ operantis incertum, & indefinitum numerum prædestinatorum Deo esse putabant. Neque enim omnino incertum numerum saluandorum esse dicerent, qui optime noverant, omnia futura certo tandem ab æterno à Deo cognosci.

Secunda opinio est Caietani, in hoc articulo, ad recentiores, & sequi debent, quos quot assenserunt, prædestinatos electos fuisse ad gloriam voluntate efficacitate quæcumque merita præfinitum, & determinatum esse, tam formaliter, quam materialiter: ut in prima conclusione expulsum est: atque hoc significasse S. Thom. cum dicit Deo esse certum numerum prædestinatorum, non solum in præfientia (intelligit post opera) sed etiam ratione electionis, & definitionis cuiusdam (intelligit electionem ad gloriam ante opera) sed numerum guttarum aquæ, verminum, & aliarum rerum, imò & reproborum putant non esse hoc modo certum: quia censent hæc omnia non fuisse per se definita ante præfinitionem causæ: ita ut prius Deus vellet esse tot vermes, antequam quicquam aliud vellet, deinde cessare ad hunc numerum præfinitum: sed tot esse voluisse, quod expediebat bono universi, & ad hunc finem causas applicasse. In prima ergo definitione inquit, non determinavit numerum verminum, nec reproborum; quia ex se ipso non voluit ante omnia homines reprobare, sed ut expediebat numero, & fini prædestinatorum: at prædestinatos per se & ante omnia in certo numero elegit efficaciter ad beatitudinem: Confirmant exemplum architecti, qui primum definit mensuram domus, & numerum mansionum, quia hæc est eius intentio: deinde non decernit determinatum numerum lapidum secundum se, sed tot, quot sibi proposito indicat necessarios.

Iuxta, quæ à nobis prædicta sunt disp. 89. ca. 2. disput. 97. cap. 4. s. facile colligimus, quid in hac controuersia sentiendum sit. Primo quidem probabile admodum existimo ex iis, quæ diximus, esse certum ex electione ad beatitudinem ante meritum. Ostendi enim ibi probabile satis fieri meritum ad gloriam fuisse electum ante meritum gratiæ. Reprobos autem non esse certum numerum ex voluntate reiciendo eos à gloria ante præuisa peccata, mihi sit probabile, quia ut in prædicta disput. 89. ca. 2.

& disput. 95. cap. 4. & 5. ostensum est nullas repro-
bas ante præuisa peccata reiectas fuisse à regno cœ-
lorum. Quod si prædestinati eo modo essent ele-
cti, reprobi vero reiecti à regno, non solum certus
esset præscientiæ Dei numerus eorum ex sola illa
præfinitione, sed etiam in se necessarius; nec vlllo
modo sub libera eorum potestate, vt ibidem pro-
batum est.

Aliqui tamen contendunt probare, certum
esse numerum electorū ex electione ad gloriam,
ex illo 2. ad Timoth. 2. *Firmum fundamentum Dei
stat, habens signaculum hoc cognouit Dominus, qui sunt
eius.* Nescio tamen ex quo verbo Pauli il-
lud deducant, cum solum dicat, certum esse nu-
merum in præscientia. Firmum enim fundamen-
tum inquit esse illud, *Cognouit Dominus, qui sunt
eius.* Dicit autem esse firmum fundamentum iis,
qui nullo modo subverti potuerunt à vera do-
ctrina, sicut fuerant decepti Hymeneus, & Phile-
tus, illi enim habentes in animo sigillatim, & ve-
luti impressam testimonium hoc, quod sint filij
Dei, & ipsi Deo bene noti immobiles permanse-
runt: *ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro
quod sumus filij Dei.*

Secundo dicendum est, numerum prædestina-
torum, & reprobatorum certum esse in præscientia
Dei, ex prouidentia mediorum dupliciter. Pri-
mum ex prouidentia mediorum gratiæ operantis,
aut cogitationis præuenientis: præterea ex prou-
dentia cooperationis: vtriusque enim Deus prou-
identiam distinctam, & peculiarem habet, quia
vtrumque singulatim definit, vt disp. præced. c. 5.
probatum est. Immerito namque Catherinus
prouidentiam Dei solum videtur agnoscere in
præfinitione gratiæ operantis, & præuenientis,
non in decreto cooperandi cum arbitrio. Hac ergo
duplici prouidentia posita non solum certus est
in præscientia numerus, hoc est, non solum certa
est, & infallibilis scientia Dei circa illum; verum
etiam ipse numerus necessario futurus est neces-
sitate sequenti, qua dicimus omne futurum, vt
futurum, necessario est futurum, & cum qua
libertas nostra optime concordat; non tamen
necessitate antecedenti, quæ libertatem nostram
omnino tollit, aut impedit, vt disput. superiori
explicatum est.

Tertio ex sola præfinitione mediorum gratiæ
operantis, & præuenientis, certus est numerus
in Dei præscientia, sed adhuc sub conditione, do-
nece accedat decretum cooperandi, & concurrēdi
cum arbitrio, prout gratia illa præueniens postu-
lat. Ratio est, quia Deus optime sub conditione
nouit, quid arbitrium eum hac, vel illa vocatione
faceret, si ipse non deesset concursu suo, vt volun-
tas tali cogitatione præuenta exposcit: ergo sub
hac conditione certo scit numerum prædesti-
natorum ex sola præparatione gratiæ præuenien-
tis. Cæterum quia concessa gratia præuenienti,
posset nihilominus Deus negare concursum, quo
negato non responderet arbitrium vocationi; fit,
vt donec accedat decretum cooperandi cum arbi-
trio, non sit certus numerus absolute in præscien-
tia: eo vero accedente certus sit, & necessarius ne-
cessitate sequenti, nobis tamen nō necessarius, nec
inevitabilis, sed liber contingens, & euitabilis: eo
quod certitudo scientiæ cum necessitate illa se-
quenti non tollit nobis, vt dixi libertatem euita-
bilitatem, & contingētiā; quia libertatem ipsam
integram in nobis supponit: idem de reprobis,
vt aquez in 1. part. Tom. 1.

seruata proportionem, sentiendum est.

Neque vero huic nostræ opinioni aduersatur
Doctor Angelicus in hoc art. 7. cum ait, numerum
prædestinatorum esse certum, non tantum ratio-
ne cognitionis, sed etiam ratione electionis, &
definitionis cuiusdam. Nam per electionem non
intellexit electionem efficacem ad beatitudinem
ante præuisa merita: sed intellexit electionem, vt
ex mente ipsius à nobis explicata est disp. 89. c. 12.
per definitionem autem intellexit decretum, quo
Deus ab æterno sigillatim statuit cum omnibus
prædestinatis cooperari vique ad perseverantiam,
& tandem conferre beatitudinem æternam: ex
quibus nos etiam concedimus certum esse nume-
rum prædestinatorum. Nullam autem inde oriri
necessitatem, quæ nostram libertatem impediatur,
patet ex disput. 99.

De effectibus vero naturalibus, qui à causa ne-
cessaria, & naturali procedunt, dicimus non so-
lum in præscientia, sed etiam in causis, eorum nu-
merum esse certum, & necessarium. An vero
Deus prius ex se definitur numerum harum re-
rum, vel ad finem superiorem manifestum est.
Neque enim numerum harum rerum secundum
se prædestinavit, sed propter alium superiorem
finem, prout ipsi placuit. Numerus vero reprobo-
rum in negatione auxilij efficacis, & congrui
sola Dei voluntate tantus aut tantus fuit: nam li-
cet eis decreuerit negare auxilia illa, vt ostenderet
diuitias misericordiæ suæ in vasa misericordiæ, ad
hunc tamen finem necessarius non fuit tantus,
aut tantus numerus reprobatorum.

CAPVT III.

*Quomodo vere dicatur; Reprobis non potest
saluari: & prædestinatus, aut sal-
uandus non potest
damnari.*

Res hac ex superioribus manifesta erat, sed
quia Catherinus suis inanitis principiis pec-
culiari modo in hac materia philosophatus est;
necesse fuit pauca contra ipsum obiter adnotare.
Libro ergo tertio de prædestinatione capit. vii.
dicit primum, hanc esse veram propositionem; *Prædestina-
tus necessario saluabitur*: intelligit autem
de necessitate antecedenti, quæ non sit in pote-
state prædestinati, ita vt ex vi prædestinationis
non relinquatur homo liber, vt saluetur, aut dam-
netur. Censet enim tum electos fuisse efficaciter
ad gloriam ante præuisa merita; tum etiam tali gra-
tia operante esse præuentos, vt ipsis liberum non
sit, non consequi gloriam, nec in gratia non perse-
uerare. Hoc tamen ostendimus esse falsum disput.
89. ex professo contra Catherinum disput. 90. vbi
ostendimus neminem fuisse ita electum efficaci-
ter, vt ei liberū non esset consequi beatitudinem,
& eam amittere: nullum etiam fuisse tali gratia
præuentum præter Christum, à qua non posset
pro libertate sua excidere.

Deinde docet has propositiones. *Non prædesti-
natus saluatur; & non prædestinatus damnabitur*; nec
esse veras, nec falsas, sed contingentes, & possi-
biles in vtramque partem, qui ante merita non fue-
runt ad gloriam efficaciter electi, nec in gratia con-
firmati; sub quibus comprehendit tam eos, qui
damnandi, quam eos, qui saluandi sunt. Intelligit
vero has propositiones, quatenus sunt de fu-
turo

*Certitudo
aliorum esse
certum.*
8.

*Certitudo
numeri re-
probatorum.*

*Prædestina-
tus saluan-
dum esse ne-
cessario an-
tecedenti al-
cui Cath. 2.*

*Impugnatur
ex dictis.*

9.

*2. Part. sen-
tentia Cath.*